

agentes Eucharistiam secum ferant, neve eam vitandi periculi causa in privatis domibus asservent; VI. Ut unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo Calice sacrificet, habens Thronos, seu corporale de lino candidum, et nitidum, et Altare mundis vestimentis opertum, vel decenti paratu ornatum: idem dicit de Sacris sacerdotis vestibus; VII. Ne mulieres Altari servire permittantur, Constitut. *Etsi Pastoralis*. Ut ii, quos dixi, abusus tollendi omnino sunt, ex Apostolicæ Sedis decreto, item et mores, sive consuetudines aliæ, si quæ sint in Orientali Ecclesia, quæ cum debita Eucharistiæ sive Corporis et Sanguinis Domini veneratione minime cohæreant, sunt omnino removendæ: ut v. g. mos, qui in Iberia, sive Mengrellia viget, tundendi Eucharistiam, eamque oleo Baptismatis miscendi, quo deinceps a Patrino totum Baptizati Corpus ungitur, et iis similes, illis Ecclesiæ legibus, quibus prohibentur consuetudines debite Sacramenti venerationi contrariæ, ac præcipitur Sancta sancte, ac decenter tractanda esse, censeri debent proscripti. Cavendum vero Missionariis, aliisque Sacris Ministris omnino erit, ne temere mores damnent, qui sint Latinis contrarii, quique apud Latinos pro indecentibus haberentur. Cujus quidem rei nonnulla afferemus exempla.

(26. *Primo*, Græci, Rutheni, Æthiopes, alique Orientales sacrum facturi sacra dona parant, eaque Græci præsertim, et Rutheni, in minori Altari, quod iis *Prothesis* dicitur, præparant; ex hoc, Græci dum hymnus Cherubicus canitur, alii vero juxta propriæ Ecclesiæ ritum statuto tempore, ad Altare majus deferunt accensis cereis, cum thuribulo ac veneratione magna totius Populi, qui pronus oblata adorare videtur. Non defuere ex nostris, qui hanc cæremoniam superstitionis, ac idololatriæ insimulaverint; quod crederent, gentem illam veluti Sacramentum oblatum panem vinumque venerari. At injuria: nam si fatentur, non alium se cultum exhibere, quam eum, qui debetur materiæ Deo oblatae, pro Sacrificio præparatae, sanctæ mensæ addictæ, a Sacerdote benedictæ; et quæ necessario converti debeat in Christi Corpus, remanentibus ipsius speciebus: monentque dandum ei non esse patriæ cultum. Hæc autem cæremonia, et est usu comprobata, et cultum relativum tantum præfert, qui donis debetur, quæ *antitypa* sunt Corporis, et Sanguinis Christi. Nil ergo in hoc reprehendi potest; sed Gens rudis est instruenda, ne dona illa, ut Christi Corpus, et Sanguinem veneretur.

(27. *Secundo*, Græci, ut auctor est Gabriel Philadelphensis, ex traditione Majorum particulas in Sacro disco reponunt, easque non consecrant, sed consecratam hostiam tangere curant, atque offerunt in honorem B. M. V., S. Joan. Bapt. etc. Hac etiam de causa superstitionis damnati fuere a Latinorum nonnullis. Injuria tamen: etenim has nec consecrari credunt, nec ut Dominicum Corpus distribuunt, sed quod Deo fuerint in

Sanctorum honorem oblatae, quodque sacram tetigerint Eucharistiam, per participationem quandam sanctitatem accipere, ac devoto animi affectu suscipiendas esse, docent: Neque id adeo facile privatus quisque ante Ecclesiæ judicium damnare potest, cum nullam per se superstitionem ferat.

Sed ut omnia, quæ ad rem hanc pertinent, ex Orientali disciplina exponamus, ea hic addimus, quæ a Benedicto XIV. in explicatione tertii Moniti Græcorum Eucologio præmissi exposita sunt: « Duos, inquit, habet Græcorum Liturgia ingressus, alterum majorem, minorem alterum nuncupatum.

« Minor est ille, quo Sacri Evangelii codex infertur; major autem ille est, quo sacra dona, nimirum panis, et vinum, non adhuc consecrata a parvo Altari, seu mensa, quæ *Prothesis* dicitur, super quam præparata fuerant, supplicationis ordine instructo, ad sacrum Altare deferuntur. In majori ingressu ritus hujusmodi observatur, ut panis in patena obiectus velo supra caput deferatur, vel a Diacono, vel a Sacerdote; a Diacono scilicet, quando solemne officium Missæ celebratur cum assistentia et ministerio Diaconi. Tunc enim hic sinistra manu patenam cum pane supra caput sustinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui Calicem cum vino utraque manu gestat; si vero Sacerdos sine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoleatur, Sacerdos autem supra caput suum sinistra manu sustinet, dextera autem sacrum Calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur majorem ingressum contingit, ut populus inclinatur, seu, pro vario regionum more, in terram procumbat, ac fronte humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis, et vini, licet nondum consecrati, Corpus et Sanguis Christi Domini contineretur. » « Populus passim, in Græcis quidem, valde dimisse se inclinatur, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum; in Russia vero prosternit se, terram fronte percutit, ac velut presentem in ea oblatione Cælorum Regem alloquitur, et adoratur, » ait Arcud. lib. 3. cap. 14. Christianus Lupus part. 3. suorum operum sup. Concil. ritum describit majoris ingressus, quando Patriarcha, aut Metropolitani celebrant; Magri in vocabulario Eccl. verb. *Prothesis*, singillatim describit quæcumque fiebant ab Imperatore sacre Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat; Goarius in *not. ad Lit. Chrys.* num. 110. totam actionem ingressus majoris accuratissime exponit. Idemque fit a Bona. Quæcumque vero ea occasione a Græcis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Coptis, Æthiopibus ac Syris Jacobitis, ut Brunus, Renaudot alique referunt. Quin etiam in Romana Urbe, in festo S. Athanasii, videre est Græcos in sua Ecclesia, ea omnia facientes, quæ supra recensuimus.

Perspectum est, Græcos ad normam cap. 52. Trullani, « in omnibus sanctæ quadragesimæ jejunii diebus, præter quam Sabbato, et Dominica, et Sancto Annuntiationis die,

sacrum facere Præsanctificatorum Mysteriorum. » Dum Missam itaque Sacerdos in quadragesima celebrat, diebus, quibus celebrare liceat, unam quidem hostiam consecrat et sumit, alteram vero consecratam reponit; quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies, quibus præsanctificatorum Missa celebranda est, in qua seipsum, et alios, si qui sint, communicantes, Eucharistico Pane antea consecrato, Sacerdos communicat, ut rem describit Allatius in proleg. ad Gabriel. *Naudæum de Missa præsanct.* Hac etiam occasione per Ecclesiam solemni ritu proceditur, Diacono sacram Pyxidem, in qua Sacramentum sub specie panis continetur, supra caput deferente, Sacerdote autem manibus gestante Calicem, cum vino aqua mixto, non quidem consecrato, sed tantum benedicto. Et quoniam non semper a Sacerdote Missa cum assistentia Diaconi celebratur, si solus Sacerdos celebrat, ipse sinistra manu defert Pyxidem capiti impositam, dextera autem Calicem sustinet; atque ita a parvo Altari ad Aram majorem progreditur, uti testatur Arcud. lib. 3. c. 58. Tunc vero non omittit Populus genua flectere, pectus tundere, aliisque idoneis actibus consecratum panem delatum, ut supra dictum est, adorare. Ab hoc ritu nonnulli ortam putant ex ignorantia quadam adorationem, quæ fit in majori ingressu, quamobrem eam damnare Nicolaus Cabasilas in *expos. Liturg.* Arcuditus deinceps lib. 3. cit. cap. 19, alique; Immo Patres Concilii Zamosciæ, an. 1720. decr. de *Cel. Miss.* § 4, non dubitavere interdiceret, « ne fiant genuflexiones, seu capitis inclinationes, dum transfertur panis oblationis a minori ad majus Altare, pro consecratione tempore offertorii, et voluerunt, ut Parochi Populum hac de re moneant, ne periculo idololatriæ exponatur. » Horum Patrum decretum Pontifex non improbat; recenset vero quid ea de causa in Congregationibus Romæ de Orientalibus cæremonis habitis determinatum sit, ac statuit exclusum fuisse eorum temperamentum, qui ritum hunc tollendum existimaverunt: cum in Congreg. super correctione Euchologii, habita die 5 Septembris 1745, questione proposita, « an abolendus, seu emendandus foret Ritus ingressus majoris, omnibus mature discussis, constitutum fuerit, nihil esse innovandum. Idque subinde auctoritate nostra firmatum extitit. Placuit, tamen sequitur *Summus Pontifex*, consilium prudenter exhibitum, ut moneantur Episcopi, alique curam animarum gerentes, ut nedum populum docere non prætermittant, quod dum sacra dona a Prothesi ad Aram majorem transferuntur solemni ritu, cum ea nondum sint consecrata, sub earum speciebus nequaquam existit Corpus et Sanguis Domini nostri Jesu Christi, prout futurum erit post consecrationem ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga præfata dona nondum consecrata exhibentur non ea ratione peraguntur, ut cultus Patriæ soli Deo debitus iisdem præstetur, sed ut inferioris speciei cultus exerceatur,

cujus objectum est futura transubstantiatio eorumdem donorum in Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. » Id quod a nobis supra expositum, et inculcatum fuerat, quod vel ipse Pontifex paulo infra laudare non dedignatur.

Ait deinceps Pontifex Max. de panis divisione, quam in minore mensa, seu Prothesi, Orientales faciunt, cujus pars major, ut Deo omnipotenti debitus adhibeatur cultus, offertur; reliquæ vero *minores*, quæ *Merides* vocantur, Omnipotenti itidem offeruntur, sed earum una in honorem S. Joannis Bapt., SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum etiam nomina a Sacerdote recensentur: alia pro vivis, quorum etiam nomina recitantur; alia pro defunctis, qui pariter nominatim commemorantur; alia in honorem illius Sancti, cujus festus dies celebratur; relicta cæteris Sacerdoti facultate offerendi specialiter Sacrificium pro illa, aut illis, quos ipse maluerit. Hujusmodi Ritus jamdiu viguisse probatur ex Diptycho Irenæ Augustæ, edito a Patre Montfaucon tom. 1. *Analect. Græc.* cap. 34. Si vero Episcopus, aut Presbyter primam celebrantis personam sustinens, cum aliis Sacerdotibus concelebrat, et Diaconi quoque in officio ministrantes assistant, non modo quilibet Sacerdos, sed unusquisque etiam ex Diaconis, Hostiam unam majorem offert, simulque *minores* particulas, seu *Merides*; ex quibus si quæ demum supersunt a Celebrante, seu Celebrantibus non consummatæ, distribuuntur adstantibus, qui Eucharisticæ communionis participes fieri petunt. De hoc ritu quæstio in Florentina Synodo instituta fuit, sed cum Archiepiscopus Mitylinensis propositis interrogationibus apte satisfacisset, nil fuit innovatum; Simeon Thessalonicensis in suo tractatu de *Sacramentis* visus est dubitare de particularum consecratione; sed cum super omnes eadem a Sacerdote proferatur verborum forma, dubitatio irrationalis fuit.

Dubitatum inter Catholicos fuit de Diaconali, quam diximus, oblatione: atque Arcudius, alique putant vere eam tollendam omnino esse; quia Diaconis offerre ad Altare oblationem sacri Canonis interdicitur. Sed etsi Canones sacram oblationem fieri prohibeant Diaconis, quæ in sacro Altari a solo Sacerdote fit, nunquam vero damnant oblationem, quæ in Mensa, sive Prothesi fieri ab antiquis temporibus etiam ab ipsis consuevit. Hinc in congregatione pro Orient. ritibus habita 3 Januarii 1745. proposita quæstione: « Utrum tollenda esset oblatio, quæ a Diaconis fit ad Prothesim? » rescriptum fuit: *Nihil esse innovandum*; ac rescriptum Pontificia auctoritate comprobatum fuit.

(28. *Tertio*, Latina Ecclesia, ac Orientales pleræque venerationis causa prohibent, ne Eucharistia cooperto capite celebretur. At cum in Sinensi, eique finitimis regnis « detecto capite manere, vel operari non fit reverentia sed sit irreverentia, et scandalum generet, non devotionem, » Romani Pontifices permisere Missionariis cooperto decenti pileo capite



celebrare, ac Neophytis Eucharistiam recipere, quoadusque Gens illa ita edocta fuerit, ut ritus Romanæ Ecclesiæ non abhorreat; Ex brevi Clementis X. 23 Decembris 1673. et aliis. Quamobrem non adeo facile dammandi erunt, si qui sint in Oriente Patriarchæ, vel alii, qui cooperto capite sacram Eucharistiam celebrent vel distribuunt. Nam in iis deesse potest irreverentia, cum sit res indifferens. Hinc Asseman. infert injuria a Josepho II, damnatos esse Patriarchas Nestorianorum, quod cooperto capite Eucharistiam, vel celebrent, vel recipiant, vel administrant. Nam scribit Balsamon lib. 7. *juris Orient. Alexandrinum Patriarcham rem divinam facere mitra caput obvolutum*, alios vero Orientales aperto capite. Et Monachi omnes S. Antonii Abbatis, sive Cophti, sive « Syri Maronitæ, cucullam monasticam in Liturgiæ celebratione, et in ipsa Eucharistia consecratione, vel perceptione retinent; » idque ex præscripto Sancti Pacomii Abbatis Regula 91. eamque regulam refert Cl. Asseman. diss. *de Syr. Nest.* pag. 306. part. 2. *Bibl. Orient.* Itaque, ubi viget usus celebrandi, ac recipiendi Eucharistiam detecto capite, ex Ecclesiæ præcepto sola Apostolica Sedes dispensare valet; ubi vero contraria vigeat ex majorum traditione consuetudo, nihil est, nisi ex Apostolicæ Sedis decreto, immutandum.

(29. Quarto. Thomas a Jesu lib. 7. *de Conversione omnium Gentium*, cap. 2, inter errores quorum Nestorianos accusat, hunc refert, « Clerici omnes apud Chaldeos, et etiam alii Laici, qui alios devotione excedunt, sacram Dominici Corporis Communionem in manibus propriis recipientes, sub utraque specie communicantur; cæteri vero Laici Corpus Domini Sanguine intinctum assumunt. » At in iis nil est, quod reprehendere possit: non morem sacram Eucharistiam recipiendi in manibus: nam consuetudo hæc in Ecclesia antiqua est, atque in aliis quoque Ecclesiis diu viguit. Dionysius Alexandrinus in *Epistola ad Xystum Papam* apud Eusebium lib. 7. *Hist. Eccl.* c. 9. ait: « Qui ad sacram mensam adstiterit, et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit. » Basil. in *Epist. Casariam Patriciam*: « In Ecclesia, inquit, Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum omni libertate iis, qui suscipit, ac ita ori admovet manu propria: » Cyrillus *Catech.* 5. Damascenus l. 4. *de fide Orth.* cap. 14. aliique Græci Scriptores tradidere, communem fuisse Ecclesiæ morem tradendi Dominicum Corpus in communicantium manibus usque ad octavam sæculum, a quo tempore adhiberi cæpit cochlear, quo communicantibus vivificum alimentum elargiuntur. Apud Nestorianos vero antiquus viget usus porrigendi in manus Eucharistiam et Calicem ori admovendi: « Rarus vero, et a recentioribus quibusdam Presbyteris Missionariorum hortatu, usur-

(1) Circa Communionem sub utraque specie cavendum est, ne Orientales errent, aut credendo, sub una tantum specie integrum Christum non suscipi,

patus mos est, communionem Corporis in eos communicantium tradenti, » inquit, Asseman. l. cap. *Quamobrem injuria hac de causa damnatur.*

Ac multo minus damnari debent ob Communionem sub utraque specie, quæ Latine quoque Ecclesiæ per plura sæcula communis fuit, quæque in universo Oriente viget. Immo et iis, qui in Italia sunt, Græcis in illis locis, in quibus ejusmodi ritus introductus est, et ad præsentem usque diem servatur, ac viget, permittitur: « Ita tamen, ut sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quod fructum attingit nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi vero præfatus ritus consuetudine hæcenus receptus non est, Episcopis, quorum jurisdictioni Græci subjiciuntur, curæ sit, ne imposterum admittatur, » inquit Benedictus XIV. *Const. Etsi Pastoralis* (1).

(30. Quinto. Orientales etiam Pueris a rationis usum, immo statim post Baptisma distribuunt. Consuetudo hæc, ut supra notavi, viguit olim et in Latina Ecclesia, atque Apostolica Sedes in iisdem Orientalibus, iis exceptis, qui sub Latinis Episcopis degunt, permittit, ac tolerat. Cavendum vero quam maxime, ne in puerorum communiōne quidquam occurrat, quo Sacramento injuria fiat, eaque hæresis e nonnullorum Orientalium mentibus eliminanda est, qua credunt, sine Eucharistiæ susceptione baptizatos pueros æternam assequi non posse beatitudinem.

Hic ex Encyclica sæpe laudata, hæc addimus. Quibusdam Ecclesiæ sæculis usus obtinuit, ut post Baptismum illico pueris Sacramentum Eucharistiæ administraretur, non quod id necessarium crederetur, sed ex mero ritu, ac vigente consuetudine, ut ex Tridentino Concilio eruitur sess. 11, c. 4, et magis etiam comprobatur ex eo, quod damnatum Armenorum errorem a Benedicto XII, etiam Rainaldus recenseat, quo putabant ad æternam puerorum salutem, et Baptismi iis collati validitatem, post Confirmationis Sacramentum, Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In Occidentali Ecclesia a quadragesimo, et amplius abhinc annis hæc consuetudo cessavit. Apud Orientales vero Melchitas, Syros, Armenos, et Cophtos viget adhuc: atque etiam apud Græcos hæc disciplina servatur, inquit Arcudius lib. *de Sac. Euchar.*, c. 11, sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt, propter incommoda, quæ in præbenda pueris post Baptismum Eucharistia sequebantur. In Synodo etiam habita in Monte Libano 18 Septembr. an. 1596. Patriarcha Maronitarum Sergio, Can. 7, decretum fuit, ut caverent deinceps Sacerdotes universi, « ne quemquam ante rationis usum ad Communionem Eucharisticam admitterent. » Idemque statuere PP. Concilii Zamosciæ an. 1720, § 3,

aut tenendo, divinum adesse præceptum de communicando sub utraque specie.

*de Eucharistia*, et Concilii Maronitarum in Monte Libano celebrati an. 1736. Quod etiam inculcat Italo Græcis Constitut. *Etsi Pastoralis*, etc.

De Communionem quoque sub utraque specie, nonnulla habet, quæ eruditionis causa addimus. In Collegio Græcorum Romæ a Gregorio XIII erecto, in quo Græcus ritus servatur juxta Collegii Constitutiones ab Urbano VIII confirmatas, Alumni debent quintadecima quaque die, nec non festis diebus solemnibus, et singulis Adventus, et Quadragesimæ Dominicis, Latinum ritum servare. In festis vero solemnioribus, videlicet Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini, jubentur Eucharistiam Græco ritu suscipere, hoc est in firmamento, Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam, qui ritus servatur etiam cum Græcis reliquis, qui prædictis diebus ad solemne Missæ Sacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus, in Ecclesia Græci Collegii sibi Eucharistiam ritu græco administrari deposcunt. Italo vero Græcis in sæpe citata *Const. Etsi Pastoralis*, solum in illis locis Communionem sub utraque specie permittitur, in quibus ritus adhuc viget, in reliquis vero prohibetur.

#### EUNUCHUS, EUNUCHI

*An liceat sine necessitate in evirationem suam consentire; et num sacerdos vel diaconus qui illam in se commiserit possit munus suum in missa exercere; alia remissive.*

Nemo abscissionem potest in se permittere, nisi de consilio Medici ad servandam vitam; et quamquam Theologi quidam admittant, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in Ecclesia canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit; adhuc tamen Theologorum id negantium opinio communius obtinuit. Disputant vero Canonistæ, num ex 4. cap. *Significavit* sub. tit. *de*

#### SUMMARIVM.

1. Evictio quid sit. — 2. Statim ac Emptori lis movetur ad rem evincendam, tenetur venditor emptorem defendere, et litem in se assumere. — 3. Nisi tamen sciat rem esse alienam, quia tunc absque lite illam Domino, pretium autem et interesse emptori restituere debet. — 4. Venditor bonæ fidei non tenetur defendere emptorem, et litem in se assumere, nisi prius eum laudaverit emptor. — 5. Denuntiare venditori litem esse motam, idem est in Jure, ac laudare Auctorem. — 6. Tunc iste fit talis denuntiatio, quando emptor venditorem expresse requirit, ut veniat, rem suam defendat, et motæ liti assistat. — 7. Venditor etsi in contractu specialiter non promiserit Evictionem, tenetur ad ipsam, postquam res vendita fuerit evicta. — 8. Venditor tenetur re evicta restituere Emptori totum pretium, si tota res fuerit evicta, et partem solum, si pars tantum evicta sit. — 9. Immo venditor, re evicta, non solum pretium, sed tenetur Emptori restituere, et præstare totum id, quod ipsius emptoris interest, rem non esse evictam. — 10. Nomine illius, quod interest, venit lucrum

Gregorius XIII Maronitarum Patriarchæ rescripsit: « Laici a Communionem sub utraque specie pedetentim arcendi sunt, totus enim Christus sub una specie continetur, et in usu calicis magnum est periculum effusionis, » ut refert Thom. a Jesu *de Conv. omn. gen.*, pag. 486. Hinc in Libanen. Concilio an. 1736, par. 2. n. 21, hujusmodi consilio inherentes decrevere: « Ne Laico, vel Clerico in minoribus Ordinibus constituto Communionem sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum. At Diaconis, ut Hostiam Sanguine intinctam a Sacerdotibus, in solemnem præsertim Missam accipere possint, et valeant, permiserunt, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum statuerunt. »

(31. Sexto. Cum in Tridentina Synodo sess. 12, c. 8, statutum sit, « ut Laici a Sacerdotibus Communionem accipiant, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicent, » id servari debet in utraque Ecclesia, ubi hæc consuetudo jam vigeat; sicuti vero antiquo more a Diaconis, jubente Episcopo, vel Presbytero, aut Eucharistia, aut Calix fidelibus tribui soleat, ut ab Orientalibus nonnullis fieri solere fertur, ii dammandi non sunt, cum hæc consuetudo ab antiquis Patribus trahat originem.

*Corpor. vitiatas*, Sacerdos, qui id in se commiserit, possit munus Diaconi, aut Subdiaconi in Missa exercere? certum est ex vi ejusd. c. Sacerdotem illum posse benedicere, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis administrare de licentia Episcopi: constat tamen Eunuchum hujusmodi incurere notam irregularitatis, nec Episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi; Bened. XIV, *de Syn. Diœc.*, lib. 11, c. 7, § 4 et 5, nov. edit.

Alia de Eunuchis, vid. verb. *Impedimenta Matrimonii*, art. 2, num. 38, 39, et verb. *Patria Potestas* num. 26.

#### EVICTIO.

cessans, et damnum emergens. — 11. Ad hoc ut venditor actione evictionis teneatur, et pretium, et interesse restituere, requiritur quod emptor prius eum laudaverit. — 12. Item requiritur, quod sententia contra emptorem jam sit lata, et executioni mandata. — 13. Venditor bonæ fidei pluribus in casibus non tenetur emptori de evictione. Primo non tenetur, quando non fuit laudatus ab emptore. — 14. Non tamen prærequiritur hæc denuntiatio, quando evidens, et manifestum est rem non fuisse venditoris, sed auctoris. — 15. Nec etiam prærequiritur denuntiatio, quando emptor est minor. — 16. Neque etiam prærequiritur, quando emptrix est Ecclesia. — 17. Secundo venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando res evicta est culpa judicis, sententia per injuriam lata. — 18. Tertio non tenetur, quando emptor contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ. — 19. Quarto non tenetur, quando emptor præscribere rem potuit, et culpa sua, vel negligentia non præscripsit. — 20. Quinto non tenetur, quando ipso absente emptor non appellavit a sententia. — 21. Sexto non tenetur, quando emptor litem motam definiri permisit per Judicem arbitrum, ad quem